



B. 209.



AD

10
11

MEMORIAM
M. GODOFREDI HOFFMANNI

A. D. NOUEMBRIS. A. C.

HORA IX. ANTEMERIDIANA

CONCELEBRANDAM

FAUTORES AUDITUROS

OBSERVANTISSIME

INVITAVIT

M. AUGUSTUS FRIDERICUS GUILIELMUS RUDOLPH.



OBLATA PART. VI.

DE IUUVENE AD VITAM ACADEMICAM MATURO.



ZITTAVIÆ, LITERIS GOTTLIEB BENIAMIN FRANKII.

Hic igitur amor, sine quo docti homines, etsi loco et honore excellamus, nostra tamen dignitate indoctis non modo non praestamus, sed etiam saepe cedimus; hic amor omne doctrinarum genus complectens, qui eruditos homines ita coniungit ac copulat, ut ad vnam familiam omnes caeteroquin diuersissimi pertinere videantur, qui vnicuique parti literarum suam dignitatem, et cuique docto suum honorem libenter concedit; hic amor, inquam, comparari profecto debet eo tempore, quo maxime est necessarius, id est eo tempore, quod ad discendi industriam erudito cuique concessum est, quo praeterlapso compelli quidem homo potest, ut eas opes sibi paret, quas ad munus et panem suum maxime necessarias esse sentit; sed ut liberaliori animo in studiis versetur, nisi singularis fortuna interuenerit, non facile, arbitror, eueniet. Etenim in vita ciuili saepe videtur deesse occasio hunc amorem non modo concipiendi et excitandi, sed etiam alendi ac exerendi. Quodsi igitur iuuenes eam cogitationem in mentem inducant, in eaque dominari patiantur, ut nihil addiscant, et ad se pertinere putent, quod non *proxime* id munus, cui se praeparant, spectet: verendum est profecto, ne omne discendi animumque colendi studium infinita negotiorum partim ecclesiasticorum, partim forensium, partim salubrium, partim oeconomicorum aliorumque magnitudine et copia obruatur et pereat. Ac ne illud quidem recte dici potest, tali modo parum consuli felicitati iuuenum, quum ita futurum sit, ut vehementius appetant, quae in posterum habere et assequi non possint. Nam, qui talia effutire non dubitauerit, non habet, cur plura addat. Totum sese iam aperuit. Oblitus nempe est eius sententiae, quam homo in infinito forensium rerum labore et ambitionis occupatione versatus edixit, quam multorum hominum occupatissimorum usus et exemplum comprobauit: cuius [veri inuestigationis] studio a rebus gerendis abduci, contra officium est, virtutis enim laus omnis in actione consistit; a qua tamen saepe fit intermissio, et multi

multi dantur ad studia reditus. (CICERO de Off. I. c. 6.) *Iuuenes* igitur ita ducendi et instituendi sunt, vt discant omnia, quorum addiscendorum occasio ipsis offertur (conf. I. M. GESNERI *Isagoge in erud. vniuers.* §. 59.) ea vero, quæ ad vitæ et studiorum genus, quod elegerunt, pertinent, prae caeteris assequi summo studio contendant; ne languidi et dormiturienses quaerant: num hoc quoque discendum mihi est? num hoc quoque oneris sustinendum? sed vt laeti et industrii ita prudentiores consulant: licetne mihi iam nunc hoc discere? num tantum studii temporisque in hoc genere ponam, quin ad alia mihi que vtiliora tempus mihi praripiam?

Sed quum in duas partes descriptus sit cursus studiorum, ac partim in *scholis*, partim in *academiis* conficiatur: in vtroque spatio incitamenta huius amoris esse debent et alimenta; in primis tamen in *scholis* est comparandus, ac nemo vere maturus ad *academiam* iudicandus, qui hoc amore præditus non sit. Etenim non modo *necessarius est*, vt *iuenis in academia bene versetur et laudabilia discat*, verum etiam in *scholis* *facilius*, quam in *academiis*, comparatur.

In *academiis* nulla sunt incitamenta studiorum *extrinsecus adhibita*. Sunt quidem; sed iis tantum, qui ea *quaerunt*, et *quaerenda* putant, i. e. iis, qui *litteras iam amant et incitato cursu ad studia feruntur*. *Præceptorum academicorum est docere; disciplinam nec curant, nec possunt curare, nec debent scholasticam adhibere*. Nam homines ibi id debent discere, in quo ad vitam reliquam eum laude degendam inest momenti plurimum, nempe *vti sua libertate*, et sine acriori virtutum incitamento aut duriori vitiorum impedimento, quam reliqua vita affert, recte honesteque agere. Itaque negligens homo nec cogitur, nec cogi se patitur, a doctore, vt *lectiones frequentet*, multo minus, vt *domi literis studeat*. *Domestica studia præceptor omnino ignorat, nec eorum rationem et modum a muto auditore accipere v-*

quam potest. Si auctoritate pollet, admonet et voce sua incitat ad studia. Sed hæc admonitio præsentibus molesta, absentibus, ut per se patet, inutilis, ac si quo casu ad aures eorum penetrauerit, fortasse ridendi materies. Ac præceptor, qui prodesse multis, aut alia de causa auditores habere multos cupit, caute debet in tali admonitione versari; nam verendum est, ne tali voce ad abigendos auditores plus efficiat, quam Antisthenes dicitur effecisse baculo. Scilicet homines liberi et sui iuris, qui ipsi iudicare possunt, et iudicare posse sibi videntur, non ferent Professore, ne doctissimum quidem, qui Rectoris scholastici morositatem velit imitari. *Deesse solet in academiis occasio ostendendi, quantum profecerint.* Frons auditoris non sine quadam grauitate assidentis non satis indicat, quantam lucem aut quantas tenebras intus cohibeat et occludat; lingua indicaret; sed licet esse mutus; licet inter suos alia loqui; nec e silentio coniectura satis certa peti posse videtur; nam tacet stupidus, tacet etiam prudentissimus. Hinc oritur etiam illud, ut, qui in scholis cæteris commilitonibus præstabant, iidem etiam in academiis facile credant, se cæteris præstare. Est in academiis etiam, ubi et declarare studia possint, et incredibili quadam ratione alere. Sunt exercitationes interpretandi, scribendi, disputandi; sed nemo has frequentabit, qui laborem fugiat, aut, quæ cum laude proferre possit, non habeat. Negligentiam denique et pigritiam poena plurium annorum interuallo comitatur; quo interuallo multa videntur disci et fieri posse, quorum tamen nihil discitur et fit ab iis, qui prorogare studia solent. Qui igitur sine sincero literarum et laudis amore academias adiit, verendum est, ne nihil addiscat aut appetat, quod docti hominis nomine dignum reddat; ne sibi gratuletur, si ea raptim collegerit, quæ ad subeundum examen maxime necessaria videbantur.

In scholis alia sunt omnia. Nam præter ea, quæ in academiis ingenuum animum ad studia incitare solent, (quo in genere ponenda in primis

mis

mis rei literariæ notitia, vt auditores et exemplo magnorum virorum incendantur, et videant, quantum sit, quod nesciant, et nondum attigerint) in scholis est præceptor, qui præeat, qui exhortetur, qui laudet, qui increpet, qui precibus ac interdum etiam stomacho ad officia compellat; qui, quum in omnibus testis sit ac comes studiorum, si qua apparuerit sensus liberalis scintilla, eam fouet, alimenta ei suppeditat, ac intime lætatur, si omnem animum occuparit, atque incendio suo omnem pigritiæ materiam humidam et ponderosam primum arefecerit, post plane consumserit. Est in scholis præceptor, qui non in eo debet elaborare, vt auditoribus suis quodam adulationis lenocinio placeat, qui, si officii memor vera commoda non ignorat, non a præsentibus delicate diligi, sed postea suis carus esse cupit; qui non admodum curat, num ab initio libenter affideat vnus et alter, an duriorum morosiorumque præceptorem tantum timeat; neque enim facile eueniet, vt propter exhortationes ad studia ab humanitate haud remotas, auditores eum deserant, (nam in capiendo tali consilio aliquæ partes sunt parentum, aliæ curatorum, aliæ magistratuum, qui partim pudore, partim officii memoria a tali consilio deterrentur) nec valde dolebit, si pigrum et inutile lignum sibi relictum, aut ineptis traditum, e disciplina sua delapsum fuerit; immo sibi gratulabitur, si stipes eiusmodi immobilis, qui studia reliquorum impedit et frangit, summotus fuerit. — In scholis nullus facile dies præterlabitur, quin quisque habeat occasionem declarandi, quid effecerit et quantum profecerit, et partim laudem sibi merendi, partim vel tacitum vituperium et dedecus. — Non est, cur discipulus spem longam et remotam concipiat; statim subsequitur aut præmium aut poena; quotidie interrogatur, quotidie reddenda est ratio studiorum; quod, quam vim ad excitandos animos eosque ad studia adfuefaciendos habeat, neminem fugit eorum, qui sciant, quam vim habeat æmulatio et præceptoris haud odiosi approbatio; qui reputent, nulla fere studia difficiliora placere ac per se allicere cultores, nisi aliquamdiu tractata, ac cum felici progressu agitata fuerint.

Ad excitandum literarum amorem in academiis doceri potest, rationibusque et exemplis allatis auditoribus persuaderi, quanta sit omnium studiorum inter se cognatio et coniunctio, quantum in reliquis sit ad vnum feliciter suscipiendum adiumenti. Sed aliud est, rem mente concipere, de eaque sibi rationibus exquisitis persuadere; aliud rem inuenire ipsum, eamque et videre, et sentire, et appetere. Illud in academiis effici potest, hoc vero in scholis. Ibi enim docet et loquitur ipse Professor semper; auditores audiunt, ac diligentiores quidem rem in commentariolos referunt. Quamuis igitur præceptor exquisite dicat, rem suo ipsius exemplo confirmet, et vndique decerpit et colligat, quæ ad rem faciant: tamen doctrinas habet circumscriptas, ac suo ipsarum ambitu temporisque mensura comprehensas et comprehendendas; auditores accipiunt, quæ offeruntur, et credunt; necessitatem rei non sentiunt; nam non postulatur ab iis, ut ipsi inueniant et dicant, ideoque effici non potest, ut tacendi necessitate erubescant. Efficiat præceptor, ut optent amplam scientiam; num efficiet quoque, ut ad consequenda optata laborem et molestiam suscipiant? Aliter hæc se habent in scholis, in quibus tam parum necesse est, ut tanta cura doctrinarum singularum regiones describantur, et quæque earum intra suum ambitum conclusa pertractetur, ut potius melius agant, mentemque ad studia melius præparent, qui, quantum fieri potest, omnia, licet non confundant et misceant, tamen iungant et copulent (Vid. S. Ven. GEDIKII *Gesammelte Schulschr.* T. I. pag. 143 sq.) Possunt plures disciplinæ, velut psychologia, logica, rhetorice et æsthetice, quam vocant, vno ambitu comprehendi; possunt et vero debent quæ docti per singulas doctrinas disperserunt auctorum interpretatori accommodari; indicantur, ac si necessarium est, suppeditantur discipulo fontes, vnde petere illustrationem debeat; iubetur ipse inuenire et explicare; ad Latinos explicandos Græci, ad Græcos Latini non adhibentur a præceptore, sed adhiberi debent a discipulo; sæpe historia, sæpe psychologia, logice, rhetorice, ac reliqua philosophia, interdum theologia, iurisprudentia et medicina, passim etiam ipsa

ipsa vita aduocanda est in subsidium; discipulus, qui interrogatur ac respondere non potest, aut propter veri ignorantiam falsa et aliena excogitat, non audit et credit nexum omnis scientiæ necessarium, sed adeo sentit, vt contrariam sententiam in mentem inducere ac credere nequeat; quæ quidem omnia alium habere exitum non possunt, nisi acriorem ad studia concitationem. — His accedit tenuior aetas, ad credendum prior, ad flectendum facilior. Nam animus adhuc vacuus facilius recipit et credit; sensus primum excitatus magis dominatur, ac si qui discipulorum suo iudicio nimis confidant, præceptor haud prorsus inops singulis fere in horis temeritatem in iudicando coercere et conuincere potest. Sed academici auditores magis sibi videntur iudices esse præceptorum; saepius sibi videntur facile refutare posse, quæ sunt a præceptore proposita. Sed quid plura? *Academiarum et methodi in iis vstitatæ et necessariæ ea mihi videtur indoles, vt in scholis bene conformatus et ad literarum studia excitatus celeriori ac lætiori gressu, quam in scholis, ad altiora perducatur; sed pigrum et illiberale negotium deferatur, suæque stupiditati relinquatur.*

Quorsum hæc omnia? Vt profecto appareat, qui ad vitam academicam maturus velit iudicari, eum in primis tali literarum amore præditum esse oportere, vt non vni tantum generi totus inhæreat, reliqua omnia contemnat et fugiat, sed quæcunque in cognitionem humanam cadunt, amore suo comprehendat; studium vero suum primo *necessariis*, deinde, si et ingenium et occasio suppetat, reliquis remotioribus impendat; non quo omnium rerum scientiam sibi paret, quod fieri non potest, sed ne in reliquis omnibus prorsus nudus deprehendatur; non vt de omnibus rebus sciolus disputare et hallucinari queat, sed ne propter curtam supellectilem suam et mancã in vno genere cognitionem reliquos alto supercilio contemnat, et qui non eodem in genere elaborarit, neminem doctum et præstabilem iudicet; non vt omnibus in literis quoddam eius bene

ne promeritum celebretur, quæ est ridicula affectatio et plerumque inanis, sed vt ex reliquis omnibus id eligere queat, quod partim ad suæ disciplinæ perfectionem, partim ad vitæ vsum laudabiliter transferri possit. Atque, o iuuenes! si is amor ad studia vos compellat, vt non quæratiscum discere aliquid, sed quid prius discere debeatis: eueniet id, quod vobis honorificum, bonis lætum, reipublicæ utilissimum est, vt in examinibus non amplius quæri debeat, quis *dignus* sit, et ad munera admittendus? sed quis sit *dignior*, et prius admouendus, et altius euehendus, Ac de literarum amore, qua *ambitum* scientiæ spectat, hactenus.

His talibus decretis vtar etiam in iudicanda caussa: *num doctrinae cupidi a literarum studiis sint reuocandi?* quæ caussa disceptabitur in oratione, in memoriam b. *Hoffmanni* a me habenda. Itaque *Patres huius ciuitatis amplissimos, Sacrorum administratos plurimum reuerendos, Collegas clarissimos et aestumatissimos, omnes denique, qui otii sui partem liberalibus studiis baud denegant*, humanissime rogavi, vt beneuole conueniant, audiant, iudicent,

P. P. Dom. XXIII, p. Trin. CIOIOCCC.



cf 4264.8^r

ULB Halle

3

002 160 943




sb

v. 18

n. C.





20
11

AD
 ORIAM
 DI HOFFMANNI
 OUEMBRIS. A. C.
 ANTEMERIDIANA
 LEBRANDAM
 AUDITUROS
 ANTSSIME
 UITAVIT
 RICUS GUILIELMUS RUDOLPH.
 A PART, VI.
 M ACADEMICAM MATURO.
 OTTLIEB BENIAMIN FRANKIL

